

*dentes dimissorias contra formam decreti, ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.* (1).

*Ordinati si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeant, dummodo tamen secuta sit sententia declaratoria.* (2).

*Ordinati vero in majoribus, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, sint ipso jure suspensi.*

Hæ poenæ adhuc subsistunt, nam in Constitutione Pii IX Apostolice Sedis, qua censuræ latæ sententiæ limitantur 1869 quarto Idus Octobris, statuitur in fine : *quoscumque Sacrum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.*

III. Vicarius capitularis plenam habet auctoritatem in clericis et sacerdotibus sub dioecesana jurisdictione recipiendis (3); juxta graves autem auctores (4) concedere nequit dimissionem per excardinationem, quæ in his locis vulgo dicitur *exeat*, qua clero datur licentia transeundi ad aliam dioecesim, quia est species alienationis ; secus tamen sentiunt alii, quia canones alienationes prohibentes, loquuntur de alienatione honorum, non vero de alienatione personarum (5).

#### § 8. An potest visitare ecclesiam, diœcesim et monasteria.

I. Locorum ordinarii ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica singulis annis visitare tenentur (6).

Certum exploratumque est, in unaquaque dioecesi, elapso anno a die novissimæ visitationis peractæ ab ultimo Episcopo defuncto, posse vicarium capitularem legitime electum hanc ipsam visitationem per diœcesim instituere, sede adhuc vacante & juxta decretum S. R. C. 16 Sept. 1843, *Abellinen*, approbante Sanctitate

(1) *Hermes* cap. 2, fol. 73.

(2) *Giraldi* ibidem not. V, et *Barbosa* ibidem n. 131.

(3) *De Angelis Prælectiones juris canonici*. lib. 1, tit. 28, n. 21.

(4) *Fagnanus* in 2, part. I *Decretal. de off. Archid.* cap. *Significasti*, n. 3; *Reiffenstuel* lib. III *Decretal.* tit. IX, n. 76; *De Angelis* loco cit.

(5) *Craisson* n. 1270.

(6) *Conc. Trid. sess. VII*, cap. VIII, de reform.

Sua, sicut S. Congregatio Concilii etiam rescriptsit 8 Maii 1683, dub. 1, *Asculana* (1), et prout communis Doctorum est sententia (2).

Quinimo jure merito dicitur, vicarium capitularem ad hoc teneri, quia ipse est loci ordinarius, et locorum ordinarios ad hoc teneri statuit Concilium Tridentinum supra allatum. Præterea ad vicarium capitularem transit jurisdictionis ordinaria, iis exceptis, quæ a jure aliter statuuntur; atqui jus et obligatio instituendæ visitationis pertinent ad jurisdictionem ordinariam, et nullus reperitur juris textus, quo eadem excipiuntur; ergo jus et obligatio visitandi ecclesiam transeunt ad vicarium capitularem.

II. Licet vicarius capitularis visitationem peragere possit et debeat; cum tamen juxta Concilium Tridentinum hæc ipsa singulis annis facienda sit; juxta Benedictum XIV (3) eam aggredi non potest & nisi elapsus sit annus a die ultimæ visitationis ab Episcopo peractæ, uti sæpius decisum fuit a S. C. C. signanter in *Ostunen*, 28 Julii 1708, lib. 53 Decret. p. 266, cum proposito dubio, *An et quando vicarius capitularis possit visitare?* rescriptsit : *Affirmative post lapsum anni : et 13 Sept. 1721 : An vicarius capitularis Scardonens, facere possit visitationem civitatis et diœcessis. Secundo, An facere possit visitationem personalem capitularium : responsum fuit : Ad primum et secundum Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab ordinario* (4). Quod aliqui existimant, vicarium capitularem ecclesias visitare posse ante annum elapsum ab ultima visitatione, quia visitatio pertinet ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, et hæc in vicario capitulari quoad hoc limitata non est, omnino exactum dici nequit, cum Concilium Tridentinum loco supra allato statuat, ecclesias singulis annis visitandas esse.

Prætermittenda quoque est visitatio, si ecclesia in proximo de pastore providenda sit (5).

(1) *Apud Zamboni, Vicarius capit. § III, n. 11.*

(2) *Fagnanus* in 2 p. I *Decretal. De Majorit. et Obedient. c. His quæ*, n. 50; *Garcias de beneficiis* p. 5, c. 7, n. 27; *Pignatelli* tom. X, *Consult.* 123, n. 4; *Reiffenstuel* lib. III, tit. IX, n. 67; *Barbosa de canonico*. cap. 42, n. 67; *Layman* in cap. *Cum olim, de Majorit. et Obed.* n. 50; *Bouix* p. 5, sect. III, cap IV, § 11.

(3) *De Syn.* lib 2, cap. IX, n. VI.

(4) Item 3 Feb. 1629 et 13 Ap. 1630, *Pampilonen*. 10 Mart. 1629, dub. I, *Limana* apud Zamboni *Capitulum ecclesiæ*. § IX, n. 12, 13 et 14; 13 Sept. 1721, dub. Visit. 1, apud Zamboni *Vicarius capit. § III, n. 18.*

(5) *S. C. C. 10 Mart. 1629, dub. I, Limana*, apud Zamboni *Capitulum ecclesiæ.*

III. Vicarius capitularis visitationem ecclesiarum civitatis et dioecesis perficere potest per seipsum vel per alium seu per visitatorem a se nominatum (1).

IV. Vicarius capitularis vel ejus delegatus, dioecesim visitans, gaudet jure percipiendi victualia, quae dici solent procuratio: sed quoniam non decet, ut ipse cum tanto incedat comitatu, quanto indiget Episcopus, qui majori præfulget dignitate; idcirco S. Congregatio 28 Julii 1708 (2) rescripsit, vicario capitulari deberi tantum medietatem procurementum, quae Episcopo solvi consueverunt: tali enim pacto servabitur indemnus ab expensis, quae visitationis causa occurront, sed nihil lucri ex ea percipiet (3).

V. Ritus a vicario capitulari, ecclesiam visitaro, servandus, a Sacra Rituum Congregatione 16 Sept. 1843 in *Abellinen*. prescriptus, et a Sanctitate Sua 8 Novembbris eodem anno 1843 confirmatus, est sequens:

“ Vicarius capitularis procedat ad ecclesiam cathedralem veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo capitulo. Quum eo pervenerit, assumet superpelliceum, vel alia insignia canonicalia, si sit canonicus, eidemque biretum presbyterale manu tenenti dignior ex capitulo stans aspersorium per contac tum exhibebit. Præcedente cruce capitulari, cæterisque de clero recta statim inter duos digniores ex capitulo perget ad sacellum ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum prædictis dignioribus in genua prævolutus orabit. Assurgens inde principem petit aram, et brevi oratione super infimo gradu peracta, sedebit in camerali sede ante latus Epistolæ super altaris suppedaneum præparata, cæterisque in propriis subselliis consendentibus, et caput bireto cooperiens, tradet, si moris est, cancellario visitationis edictum legendum, et deinde proponet caussas adventus sui, ut habetur in Pontificali Romano (*Ordo ad visitandas parochias*). His

§ IX, n. 13; 13 Sept. 1721, dub. Visit. § 6, apud Zamboni tom 4, *Vicarius capit.* § 2; Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. IX, n. 67; Barbosa de canonic. cap. 42, n. 70.

(1) Conc. Trid. sess. 24, cap. III de reform.; S. C. C. Dec. 1589, *Salernitana* apud Zamboni *Vicarius capit.* § III, n. 3; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. 2, n. 11.

(2) In *Ostunens, Procurationis*, impressa tom. 9, *Thesaurus* pag. 180.

(3) Ita Bened. XIV, de Syn. lib. X, cap. X, n. VI; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § II.

„ absolutis, ab altari descendit, et in plano extra latus Epistolæ stans, supra superpelliceum, vel rochettum, si eo utatur, amictum, stolam et pluviale nigrum induat, eique duo sacerdotes assistent. Interim sedes ab altari amovebitur, cuius frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta altare in cornu Epistolæ versus ad populum incipit antiphonam *Si iniquitates*. Cætera peragantur ut in Pontificali Romano loco citato. ”

VI. Locorum ordinarii ecclesias quascumque visitare tenentur juxta Concilium Tridentinum supra allatum. Controversia autem est, num capitulum, sede vacante, sive ejus vicarius valeat in visitandis monasteriis aliisque locis exemptis, ea uti potestate delegata, quae per S. Concilium Tridentinum tradita est Episcopis. Aliqui doctores negant id, propterea quod non transeat in capitulum ea delegatio, quam Concilium Episcopis potissimum contulisse videtur. Alii autem affirmant, ea ducti ratione, quod ubi potestas delegata non confertur in personam certam Episcopi, sed perpetuo annectitur officio Episcopali, ad salubriorem gubernationem Ecclesiæ et dioecesis, et in bonum eorum in quos talis delegata jurisdiction est exercenda, tunc ea quasi pars accedens ad totam episcopalem jurisdictionem, devolvatur etiam ad capitulum, Episcopali sede vacante (1). S. C. Congregatio consulta, decrevit, vicario minime competere jus, visitandi abbatiam Sedi Apostolicæ immediate subjectam (2). Moniales non exemptas visitare potest, non autem exemptas, nisi Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, perpetua data sit facultas easdem visitandi (3).

### § 9. An synodum convocare, et examinatores synodales eligere potest.

I. Vicarius capitularis synodum dioecesanam convocare valet, dummodo effluxerit annus a die ultimæ synodi, habitæ ab Episcopo, nisi non multo post speretur constituendus Episcopus. Quocirca, cum a Sacro Concilio Tridentino tam dioeceseos visitatio,

(1) Ita Zamboni tom. 4, *Capitulum*, § XII, in fine, et Pallottini *Capitulum eccl.* § VII, n. 9.

(2) 5 Jul. 1710 *Aquilana seu nullius jur. visit.* apud Zamboni *Vicarius capit.* § III, n. 17.

(3) Barbosa de canonic. cap. 42, n. 71 et 107; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. II, n. 21 et 22.

quam synodi coactio, quotannis perficienda statuatur, ac proinde haec duo in re praesenti videantur quodammodo inter se connexa, eodem jure metienda sunt, idemque de utraque est ferendum judicium, cum in utraque eadem vigeat ratio (1).

II. Examinatores synodales in synodo eligere potest, extra eam autem non potest, sed uti debet antea electis (2). Novos examinatores in locum absentium aut defunctorum substituere nequit, sed curare debet, ut elapso anno alii in locum demortuorum elegantur in synodo (3).

III. Vicarius tamen capitularis ecclesiae Metropolitanae jus non habet, indicendi synodum provinciale. « Nam, ut scribit Benedictus XIV (4), cum indecens et absonum visum fuerit, tantam jurisdictionem tribuere vicario capitulari Metropolitanae ecclesiae, ut valeat ad synodum compellere totius provinciae Episcopos idcirco sancitum est, ut, vacante sede Metropolitanana, non ad istius vicarium, sed ad antiquorem suffraganeum jus pertineat provinciale synodum cogendi, quod declaravit S. Congregatio Concilii in causa Tarraconen. 10 Februarii 1624 (5), in qua interrogata: *An capitulum Tarraconen. possit, sede Archiepiscopali vacante, indicere ac celebrare Concilium provinciale, an vero haec facultas spectet ad antiquorem Episcopum ejus provinciae:* respondit: *Jus provinciale Concilium indicendi ac celebrandi, sede vacante, non ad capitulum Metropolitanum, sed ad antiquorem provinciae Episcopum pertinere.*

**§ 10. An vicarius capitularis pollet facultate concedendi indulgentias, erigendi confraternitates, earum statuta approbandi, et consensum dandi easdem aggregandi.**

I. An vicarius capitularis indulgentias concedere valeat, alii affirmant, et alii negant (6). Etsi autem haec potestas, non ad ordi-

(1) Ita Bened. XIV, de Syn. lib. II, cap. IX, n. VI; Zamboni tom. IV, *Capitulum*, § XII; Lucius Ferraris *Vicarius capitularis*, art. II, n. 12; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § 12.

(2) S. Cong. Episc. 12 Jan. 1604 in *Neapolitana* apud Lucium Ferrarem *Vicarius capit.* art. II, n. 13.

(3) Lucius Ferraris ibidem n. 61; Bouix loco cit.

(4) De Syn. lib. II, cap. IX, n. VIII.

(5) Lib. 12, Decretor. pag. 160.

(6) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IX, n. 79 et 80; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § 7.

nem, sed ad jurisdictionem pertineat « nihilominus ab Episcopo ad capitulum, ejusve vicarium non transit: hic quippe indulgentias quadraginta dierum, quas Episcopus elargiri poterat, neutiquam concedere valet. At respondeatur in primis, non deesse doctores, qui eamdem potestatem concedendi indulgentias, qua pollet Episcopus, attribuant vicario capitulari (1). Libenter tamen admittimus, veriorem esse sententiam oppositam, quam alii tuentur (2), et praeterea fatemur, hanc secundam opinionem esse omnino in praxi servandam: nam S. Congregatio Concilii die 13 Novembris 1688 interrogata: *An vicarius capitularis, sede Episcopali vacante, facultatem habeat concedendi indulgentias, quas ceteroquin concedere posset Episcopus vivens:* noluit quidem juris controversiam decidere, districte tamen vetuit, ne opinio, eam facultatem asserens vicario, deduceretur in praxim, respondendo: *Vicarius capitularis se abstineat.* Rationes sunt: 1º quia facultas concedendi indulgentias non est adeo necessaria ad dioeceseos regimen, ut aliquod damnum eidem immineat, si ea caret qui dioecesim ad tempus administrat; 2º praefata potestas, etsi non ordinis sit, est tamen jurisdictionis cuiusdam extraordinariae, soli dignitati Episcopali annexae; 3º jus indulgentias elargiendi residet in solo Romano Pontifice, qui illius juris partem credere potuit Episcopis, et non aliis, qui neque ecclesiarum sponsi, nec veri pastores sunt, sed temporariam tantum gregis curam gerunt.» (3).

II. Similiter dubitatur, an vicarius capitularis facultate pollet, erigendi confraternitates sive sodalitia, eorum approbandi statuta.

(1) Abbas in cap. *Cum olim*, q. 13 de majorit. et obedient. Marchett. in praxi Vic. capit. cap. 24, n. 1; Peregrin. in praxi Vic. p. 1, s. 4, subs. 2, n. 32; Molin de iust. et jur. tom. 6, disp. 11, n. 6; Azor Institut. moral. p. 2, l. 3, c. 37, q. 9; Barbosa de jur. eccl. l. 1, c. 32, n. 91; Sylva de beneficiis p. 2, c. 11, n. 4; Armilla in Summ. Capitulum. Vers. cum jura dicant; Sylvester in Summ. Verb. capitulum in fin. Sa in Aphor. Confessarior. Verb. capitulum Sede vacante.

(2) Tarcremata in can. Item in Levitico n. 41, de penit. dist. 1; Socin in cap. Nostram, n. 19 et seq. de penit. et remiss.; Fagnanus in cap. Accedentibus, n. 13, de excessib. Praelat.; Pirhinc ad lib. 1, Decretal. tit. 33, s. 2, n. 49, Vers. Cujusmodi potestas, et lib. 5, tit. 38, s. 2, n. 42; Fermosin. de capitulo Sede vacante, q. 9, n. 10; Leander Oper. Moral. tom. 1, tract. 5, disp. 14, q. 23; Fragos de regim. Christian. Reip. tom. 2, p. 2, lib. 2, disput. 4, § 1, n. 19; Pax Jordan. Elucubrat. tom. 1, lib. 5, tit. 16, n. 27; Coton. Controv. lib. 2, controv. 11, c. 1, n. 20; Joan. Devoti Instit. Canonic. lib. 1, tit. III, § 65; Muhlbauer Decreta auth. S. R. C. *Vicarius capit.* h.; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. 2, n. 53.

(3) Ita Bened. XIV de Syn. lib. 2, cap. IX, n. VII.

consensumque præstandi requisitum, ut archiconfraternitatibus aggregentur. Has quæstiones propositas Sacra Indulgentiarum Congregatio in opinionum varietate definire noluit, sed constituit, ut vicarii capitulares ab his peragendis abstinerent, quia, ut videatur, tum confraternitatum erectio in dioecesum regimine res maximi est momenti, tum facili modo differri potest in tempus futuri Episcopi.

Causa proposita Congregationis Pretiosissimi Sanguinis est sequens :

I. *Potestne Vicarius capitularis erigere confraternitates, ita ut erectio sic peracta canonica sit?*

II. *Utrum Vicarius capitularis possit valide concedere literas testimoniales, ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione confraternitatum?*

III. *Utrum Vicarius capitularis possit approbare statuta confraternitatum?*

In congregacione generali die 15 Nov. 1878 Emi Patres rescripserunt : Ad I, II et III. *Vicarius capitularis se abstineat. Quam resolutionem Sanctitas Sua 23 Nov. 1878 approbavit (1).*

#### CAPUT XXIV.

##### DE CESSATIONE OFFICII VICARII CAPITULARIS.

§ 1. *De capitulo, si Vicarius capitularis negligens vel inhabilis fiat.*

I. Vicarius capitularis, legitime constitutus, per capitulo removi vel revocari non potest, ut dictum est cap. XIX, § 7.

Si negligens fuerit, capitulo se gerit, sicut in simili casu ageret erga Episcopum, ut dictum est cap. XVII, §§ 1 et 2.

Si Vicarius ob ægritudinem similemve causam inhabilis fiat, capitulo eum humaniter inducere potest, ad adsciscendum vicarium socium in ecclesiæ regimine; vicario autem renuente, capitulo per se jus non habet, ei alium virum adjungendi, qui opem adjutricem illi præbeat, ut dictum est cap. XIX, § 6; sed prout circumstantiae exigunt, ad Sedem Apostolicam recurrere potest ac debet; et in hoc casu agere valet et tenetur, quod ipsa præscribere voluerit.

(1) Acta S. Sedis vol. XI, fol. 353.

##### § 2. *In quibus casibus cessat officium vicarii capitularis.*

1º Cessat per mortem ipsius vicarii.

2º Cessat per spontaneam vicarii capitularis renuntiationem, qui muneri suo renuntiare valet (1), quin necesse sit, eam renuntiationem admitti (2).

3º Cessat per remotionem vicarii capitularis ab officio, factam a S. Congregatione Concilii vel Episcoporum (3). In hoc tamen casu non statim concludendum est, ejus acta esse invalida, ut enim revocatio effectum habeat, vicario intimari debet, et ejus gesta tamdiu sunt valida, quamdiu revocatio publice ignoratur (4).

In his tribus casibus jurisdiction revertitur ad capitulum, quod intra octo dies a notitia mortis, renuntiationis aut remotionis, et juxta easdem regulas, ad novam vicarii capitularis electionem procedere valet et debet, sicut statuitur in VI Decretalium lib. 1, tit. VI, c. XXVI : *Si electio ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire recusat, vel post consensum renunciat juri suo, aut forte diem claudit extreum, seu propter occultum ejus vitium irritatur : electores (qui jam fecerant, quod spectabat ad ipsos, intra juris terminum eligendo) habebunt a dissensu, renuntiatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio nova esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam : dummodo nil fraudulenter egerint in præmissis (5).* Exceptio tamen facienda est, si in casu revocationis Sacra Congregatio mittat seu deputet vicarium Apostolicum, ad gerendam ecclesiæ vacantis administrationem, in quo casu capitulum vicarium amplius eligere non valet.

Similiter si vicarius capitularis, per Metropolitanum vel viciniorem Episcopum ob capitulo negligentiam vel malam electionem deputatus, moriatur, renuntiet aut removeatur; capitulo infra octo dies novum eligere potest, quia pro prima tantum vice jus amisit (6).

(1) Litteræ Apost. SS. D. Pii IX *Romanus Pontifex* 1873 quinto kalendas Septembbris; De Angelis, Prælet. jur. can. lib. 1, cap. 28, n. 23.

(2) De Angelis ibidem.

(3) De Angelis loco cit. Lucius Ferraris *Vicarius capit. art. 1*, n. 57 et 58.

(4) Hermes cap. IX, § 2.

(5) Litteræ Apost. SS. D. Pii IX *Romanus Pontifex* supra sit.

(6) Lucius Ferraris *Capitulum art. III*, n. 57; Monacelli *Formularium tit. 1*, form. 2, annot. 6; Bouix p. 5, sect. 1, cap. XV, § V.